



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Maximiliani Sandaei E Societate Iesv Doctoris
Theologi Architectura Christiana**

Sandaeus, Maximilianus

Coloniae Agrippinae, 1653

Art. I. Basis Fortitudinis & Constantiae Devs.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46065](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46065)

Colūnas altissimas, crassissimas, firmissimas. Quare Bases quibus innituntur habēt haud dubiè proportione sibi respondentes. Sed de iis nō videtur esse una Architecturæ & spiritualis Magistrorum sentētia.

ARTICULUS I.

BASIS

Fortitudinis & Constantiæ

DEUS

TA sensisse videtur magnanimus Rex David, qui singulari DEI munere fusas in animæ suæ fundo Columnas illas, tanquam Ædificii spiritualis fulcra conservabat, & frequenter respiciebat. Illius, ut quorumlibet fortium sunt illa cantica. *In DEO speravi: non timebo quid faciat mihi caro.* Psalmo LV. *Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo? Si consistunt adversum me castra, non timebit cor meum,* Psal. XXVI. *Fortitudinem meam ad Te custodiā, quia susceptor meus es;* Psal. LVIII. Accinit Isaias Propheta in Cantico laudis, & gratiarum actionis, pro liberatione & beneficiis Servatoris, quod est capite duodecimo. *Eccle DEUS Salvator meus, fiducia- luer agam, & non timebo: quia Fortitudo mea, nempe, in quo est, tanquam in Basi, fortitudo mea, & laus mea Dominus: & factus est mihi in salutem.*

IDEM frequenter inculcat S. August. Et quidem Con-
 cione in Ps. XXXII. *Spes tua DEUS sit, inquit, Fortitudo tua
 DEUS sit: Firmitas tua, id est, Basis, cui insistat Columna
 Fortitudinis & Perseverantiæ, DEUS sit: exoratio tua ipse sit:
 laus tua ipse sit: finis, in quo requiescas ipse sit: adjutorium, cum
 laboras, ipse sit.* Et in illa verba Psal. CXVII. *Fortitudo mea &
 laus*

laus mea Dominus, & factus est mihi in salutem, probat, qui *Basim* istam firmiter collocarit, illi non esse metuendum, ne Columna unquam vacillet, & multo minus, ne concidat. Cujus, ait, *laudatio*, & *Fortitudo est Dominus*, tam non *cadit*, quàm non *ncadit Dominus*: & ideo *eis factus est in salutem*. Ob eandem causam, & demonstrat S. Ambrosius, nunquam inclinata fuit Columna Fortitudinis in Rege David, viro fortissimo, quia DEUM ut *Basim*, supposuerat, David, inquit, *nunquam nisi consulto Domino*, bellum adorsus, ideo *in omnibus victor praeliis*, usque ad summam senectam *manu promptus*, bellicosus *miscbatur agminibus*, gloria cupidus, *incuriosus Salutis*.

ARTICVLVS II.

BASIS

Fortitudinis & Constantiæ

PROVISIO

QVO nomine designo *Sapientiam*, *Prudentiam*, *Consilium*, *Rationis rectæ iudicium*, & quæ hisce sunt affinitate sine his enim facillimè contingit, ut Fortitudinis Columna ruat. Id insinuat S. Gregorius homilia XIX. in Ezechiel. ubi scribit: *Sæpe Fortitudo si improvida fuerit*, & *minus circa vitia circumspecta*, ipsa sui *presumptione in casum ruat*. Ascendat ergo ad *consilium*. Sed esse *consilium non potest*, si *Intellectus desit*. Et lib. secundo *Moralium cap. 25. Cetera virtutes nisi ea, quæ appetunt, prudenter agant, virtutes esse nequaquam possunt*. Consentit Clemens Alexandrinus, qui lib. VII. *Stromat. ita differit. Nullus citra rationem fortis est cognitio præditus: quia alioqui, pueros, qui formidabilia sustinent, propter eorum quæ sunt gravia ignorantem, & feras, quæ in hastis incurunt,*